



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 7. Quot modis accidere potest mutatio substantialis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

Quaest. 7. Quot modis accidere potest mutatio substantialis in Sacramento?

D. Th. 3. p.
q. 60. art. 8.
in corp.

Resp. Quinque modis. Primò, *Circa additionem*, inquit Divus Thomas, *contingit aliquid apponi, quod est corruptivum debiti sensus.* Putà si quis dicat: Ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filii minoris, sicut Arriani baptizabant; & ideo talis additio tollit veritatem Sacramenti. Secundò, quando prætermittuntur aliqua verba essentialia: Manifestum est autem, ait ibidem Divus Thomas, quod si diminuatur aliquid eorum quæ sunt de substantia forma Sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum & ideo non perficitur Sacramentum; ut si quis ita baptizare contendat, ut unum de prædictis nominibus prætermittat, scilicet Patris & Filii & Spiritus-sancti. v. g. si diceret: Ego te baptizo in nomine Patris & Filii, & omitteret Spiritum-sanctum. Tertiò, si sit tanta corruptio,

D. Th. 3. p.
q. 60. art. 7.
ad 3.

ait idem Doctor, *quæ omninò auferat sensum locutionis, non videtur perfici Sacramentum:* Putà si loco ejus quod est in nomine Patris,

D. Th. 3. p.
q. 60. art. 8.
ad 3.

dicat in nomine matris. Quartò, si sit tanta interruptio verborum, ut ait Divus Thomas, quòd intercipiatur intentio pronuntiantis; tollitur sensus Sacramenti, & per consequens veritas ejus; non autem tollitur quando est parva interruptio quæ intentionem proferentis & intellectum verborum non aufert. Et idem est etiam dicendum de transpositione verborum, quia si tollit sensum locutionis, non perficitur Sacramentum. v. g. si quis diceret: Filii, Ego baptizo te in nomine Patris & Spiritus sancti.

Can. Detrahe.
1. q. 1.

Quaest. 8. Quomodo intelligenda sunt verba sancti Augustini relata in Can. Vnde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat,